

tificis sanctionem Pipinus rex Francorum appellatus est. Eginarthus in vita Caroli Magni : Pipinus, inquit, per auctoritatem Romani Pontificis ex praefecto palatii, rex constitutus est.

Aimoinus lib. iv. de gestis Francorum cap. 61 : Pontifex, inquit, data auctoritate sua jussit Pipinum regem institui. Regino lib. ii. Chronici : Zacharias, inquit, per auctoritatem Apostolicam jussit Pipinum regem creari, et sanctae unctionis oleo inungi. Lambertus Schafnaburgensis in historia Germanica. Pipinus, inquit, decreto Zachariae Papae per unctionem sancti Bonifacii rex appellatus est. Sigebertus in Chronico : Anno, inquit, 750. Pipinus princeps auctoritate Apostolica et Francorum electione a sancto Bonifacio in regem ungitur et consecratur. Anno 752. iterum inungitur in regem a Stephano Papa. Hermannus Contractus in Chronico : Anno inquit, 752. Pipinus auctoritate Stephani Papae deposito ac detonso rege Hilderico, rex Francorum factus, regnavit annis 15. Marianus Scotus lib. iii. Chronici : Zacharias, inquit, Papa ex auctoritate S. Petri Apostoli mandat populo Francorum, ut Pipinus, qui potestate regia utebatur, etiam nominis dignitate fruere. Ita Hildericus rex qui ultimus Merovingorum Francis imperabat, depositus, et in Monasterium missus est. Conradus Abbas Urspergensis in Chronico : Anno, inquit, 750. Pipinus per auctoritatem Zachariae Papae more Francorum electus ad regnum, per manus sancti Bonifacii elevatus est in regni solium. Et infra : Stephanus (Papa) Pipinum sacra unctione in regiae dignitatis honore confirmavit. Otho Frisingensis lib. v. Histor. cap. 22 : Auctoritate, inquit, Zachariae Papae Pipinus ad regnum eligitur. Albertus Krantzius lib. i. Metropolis cap. 14 : Merito, inquit, summus Pontifex, et Gallorum rex mutuis se attollunt favoribus, quando ab initio haec sedes domui Caroli hoc praestitit, ut regiam haberet dignitatem. Viderit jam Illyricus utrum nos finxerimus, Pontificis auctoritate Pipinum regem creatum ; an ipse potius nos haec finxisse, more solito mentiatur.

XIX. — Postremum, sed dignum extremo loco, mendacium illud est, quo Illyricus affirmat, Papae figmentum de translatione regni Francorum ab Hilderico in Pipinum, Annonii auctoritate coargui. Nam, ut paulo ante citavimus, Annonius, qui et Aimoinus

ab aliis dicitur, non Papae, sed Illyrici mendacium verbis clarissimis reprehendit. Sic enim ait lib. iv. cap. 61. Pontifex data auctoritate sua, jussit Pipinum regem institui. Et infra : Hoc anno secundum Romani Pontificis sanctionem Pipinus rex Francorum appellatus est, et ad hujus dignitatem honoris unctus sacra unctione manu sanctae memoriae Bonifacii archiepiscopi et martyr's. Quid clarius ? Sed finem faciam mendaciorum commemorandorum, si unum adhuc addidero, quod toto passim libro repetitur.

XX. — Siquidem in epistola dedicatoria, in prolegomenis, et in singulis fere libri capitibus Illyricus queritur de Pontificis adulatoribus, et parasitis, quod audeant Imperium a Pontifice Romano ad reges Francorum delatum scribere : nec veretur hanc ipsam translationem figmentum et fabulas appellare. At nos paulo post supra triginta Historicorum testimonia proferemus, quorum cum alii Graeci, alii Galli, plurimi Germani, atque omnes pene veteres fuerint, ipsa tum nationis diversitas, tum vetustatis auctoritas, omnem ab eis suspensionem falsitatis atque adulationis excludit. Sed praeter ea testimonia, quae suo loco postea producentur, producam nunc Martinum Lutherum, teste Illyrico, omni exceptione majorem, quippe prophetam, atque evangelistam novum, et Romani Pontificis non modo non parasitum et adulatorem, sed etiam hostem acerrimum, atque infestissimum, cui comites addam Theodorum Bibliandrum, ac Davidem Chytræum, et ipsum quoque Flaccium Illyricum, qui in Romano Pontifice oppugnando, non multum Luthero cedunt.

David igitur Chytræus in commentar. cap. xiii. Apocalypsis, Lutheri sententiam, ac suam et aliorum quorundam Lutheranorum his verbis describit : « Lutherus et alii hanc partem visionis de novo imperio Romano per Pontificem instaurato enarrant. Cum enim vetus imperium Urbis, et Caesarum Romanorum per Francos, Gothos, Vandalos, et alias gentes laceratum, et plane extinctum esset, Romanus Pontifex Leo Tertius, veteris illius Romani imperii imaginem, seu simulacrum, et umbram aliquam excitavit, cum Carolo Francorum regi nomen, et titulum imperatoris Romani anno Christi 800 attribuit, ei spiritum, ac vitam imagini a se efficta dedit, ut formam aliquam veteris imperii referret, et loqueretur, ac leges sanciret de obedientia bestiae et ima-

gini ipsius praestanda. Nihil enim fere potestatis et juris habuit, vel usurpare ausus fuit imperator Romanus in hac nova imperii forma, nisi quantum Romanus Pontifex, aut bestia ei concessit ». Hæc ille.

Theodorus autem Bibliander in Chronico suo, tabula decima prope extrema, de eadem imperii translatione sic loquitur : « Ut per Longobardos imperatorem novae Romae Papa veteris Romae expulsi ex Italia ; ita Longobardos armis Francorum oppressit : eodemque jure, ac potestate regnum Francorum transtulit a Merovingis ad Germanos principes, et Romanum imperium a Graecis in Carolum Magnum ». Et infra in tabula undecima : « In Natali, inquit, die Christi Servatoris post solemnia sacra in templo S. Petri magna voce proclamavit (Leo Papa) Carolum imperatorem Augustum, ac diademate ornatum inunxit : simulque filium Pipinum inunxit Italiae regem. Ita imperium Occidentis, quod post Augustulum ab Oedacaro Germano depositum jacuerat annis 300. per Romanum Papam excitatum rursus, et in regem Francorum, atque Germanorum translatum est. Papa quidem Romanus videri voluit gratiam referre Carolo de Romana Ecclesia optime merito, appellans more Romano, Patritium, et Augustum, et Caesarem Romanum, occulto autem judicio Dei ad eam nationem auctore Papa, et applaudente acclamanteque populo Romano, Carolo Augusto a Deo coronato, magno et pacifico imperatori vita, et victoria, Imperium translatum est ». Et infra : « Auctoribus Papis a Pipino et Carolo Germanis principibus, Longobardi regnum Italiae amiserunt : quod Papa Leo, cum praeclearo auctario videlicet, Carolo Magno resignavit ». Hæc Theodorus. Illyrici ac sociorum ejus Magdeburgensium Centuriatorum testimonium supra retulimus cap. i. Habemus igitur multorum hostium Pontificiorum testimonia de translatione imperii auctore Pontifice facta, usque adeo clara atque illustria, ut plane nesciam, an ulli scriptores ex iis, quos Illyricus parasitos Pontificis vocat, clarius de eadem re loqui potuerint. Atque hæc Illyrici mendacia hoc loco satis esse visa sunt. Nam si singula persequi velimus, totus liber in mendaciis numerandis et refellendis consumendus sit.

Sed ne forte Illyricus gloriatur, ex Apocalypsi Joannis demonstrari Pontificem Romanum esse Antichristum, observet prudens lector, apud Joannem nusquam legi, ab An-

tichristo sanandam eam bestiam, qua Romanum imperium significatur. Siquidem unum illud caput bestiae, quod in Apocalypsi cap. xiii. dicitur moriturum, et paulo post opera draconis resurrecturum, non imperium, vel imperatorem, sed ipsum Antichristum designat, qui finget se mortuum, et opera draconis, id est, arte diabolica, paulo post iterum se ipse excitare videbitur, ut imitetur veram Christi mortem et resurrectionem. Ita hunc locum exponunt veteres, Gregorius lib. xi. epist. 3. Primasius, Beda, Haymo, Anselmus, Richardus Victorinus, et Rupertus Tuitiensis in commentario hujus loci, et textus ipse omnino cogit, ut per illud bestiae caput, non Carolum Magnum, ut Lutherani volunt, sed Antichristum accipiamus. Illud enim caput bestiae, ut Joannes scribit, potestatem habuit solum mensibus quadraginta duobus, et blasphemabat Deum, et eos qui in caelo habitant; et imperavit in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem, et adoraverunt illud omnes qui habitant in terra; quarum rerum nulla convenit in Carolum, aut in aliquem successorum ejus : omnes vero omnium consensu in Antichristum quadrant. Neque enim Carolus Magnus, in quo imperium quodammodo revixit, potestatem habuit mensibus tantum quadraginta duobus, sed annis fere quatuordecim. Neque Deum aut Sanctos, Carolus, vel ejus successores blasphemarunt, sed eos potius mirifice coluerunt. Denique neque Carolus, neque ullus successorum ejus, aut omnibus gentibus imperavit, aut ab omnibus gentibus adoratus est. Sed de his satis : nam in libro tertio de summo Pontifice totum hoc argumentum accurate tractavimus.

### CAPUT III.

#### *Refelluntur prolegomena Illyrici.*

Etsi prolegomena Illyrici nihil sint aliud nisi ingens quoddam mendacium, quia tamen ejus mendacii refutatio longior erit quam ut ad caput, quo mendacia continentur, commode possit adjungi, rectius esse duxi, si propriam disputationem ad prolegomena refellenda instituerem. Igitur Illyrici prolegomena tota consumuntur in variis fragmentis diversorum auctorum recitantis, ex quibus ipse colligi dicit, ante annos quadragentos inter Adrianum IV Pontificem, et Fridericum I imperatorem litigatum esse, utrum

beneficio Papæ Germani Cæsares imperent : ac tandem post longam concertationem definitum, figmentum esse, quod vulgo fertur, Germanos Cæsares Romanorum Pontificum beneficio imperare. Sic autem exorditur : « Tota ista controversia, an imperium ex dono beneficiove Papæ ad Germanos pervenerit, jam olim, nempe ante 400. annos inter Fridericum I et Adrianum Papam IV gravissime agitata, definitaque fuit, ut ex sequentibus locis Historiæ Othonis Frisingensis, epistolis illorum ipsorum Monarcharum ab Othone suæ Historiæ insertis, patebit, quas hic ordine adscribam ». Hæc ille. Ubi mentitur primo cum ait, controversiam hanc ante annos 400 agitam et definitam. Controversia enim quædam eo tempore agitata est, esset necne Imperium Romanum beneficium, id est (ut ipsi loquuntur) Feudum Pontificis. Utrum autem imperium a Græcis ad Germanos, Pontificis auctoritate, translatum esset, in controversiam tunc non venit. Sed res tota paulo post apertior fiet.

Mentitur secundo, cum addit ex historia Othonis Frisingensis narrationem hanc a se desumptam, non enim ex Othone, sed ex Radevico eam desumpsit. Otho siquidem vir gravis et doctus, dedita opera narrationem illam totam in suo opere prætermisit, tanquam indignam videlicet, quæ inter alias res gestas Friderici, quem ipse laudandum susceperat, locum haberet. Alioqui autem eidem Othoni res tota perspecta erat, quippe qui præsens interfuit, et litteras Summi Pontificis ea de causa missas imperatori interpretatus est, ut ex Radevico cognosci potest libro I. cap. 22.

Mentitur tertio, cum se ordine rem totam adscripturum dicit, cum contra potius studiose nullum ordinem sequi videatur, ut ex enumeratione et discussione eorum quæ profert, manifestum fiet.

Primum igitur adfert narrationem Radevici (quem ipse falso vocat Othonem Frisingensem) ex lib. I. de rebus gentis Friderici, cap. 8. qua narratione continetur legatio duorum Cardinalium a Pontifice Adriano ad Imperatorem Fridericum missa ; de qua nihil est quod dicamus, cum simplex rei gestæ narratio sit. Secundo adjungit fragmentum epistolæ Adriani, quam legati illi attulerant. Fragmentum autem referre voluit Illyricus non totam epistolam, ut lectori suo persuaderet, id potissimum in ea epistola egisse Pontificem, ut se imperii Germanorum au-

ctorem ostenderet, neque imperium aliud esse nisi beneficium, seu feudum Ecclesiæ Romanæ. Nos igitur totam epistolam producemus, ut omnes intelligant, causam ob quam Summus Pontifex scripsit, non fuisse, ut imperium Germanorum beneficium suum esse jactaret, cujus rei obiter solum mentionem facit, sed ut Imperatorem officii admoneret in sacrilegis hominem puniendis.

EXEMPLUM EPISTOLÆ ADRIANI IV AD FRIDERICUM I  
EX LIB. I. CAP. 9. RADEVICI FRISINGENSIS.

« Adrianus Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Friderico illustri Romanorum imperatori salutem, et Apostolicam benedictionem. Imperatoriæ majestati paucis retroactis diebus recolimus scripsisse illud horrendum et execrabile facinus, et piaculare flagitium, tempore nostro commissum in Teutonicis partibus, sicut credimus aliquando intentatum, excellentiæ tuæ ad memoriam revocantes, non sine grandi admiratione ferentes, quod absque digna severitate vindictæ, usque nunc transire passus sis tam perniciosi sceleris feritatem. Qualiter enim venerabilis frater noster E. Lundenensis Archiepiscopus, dum a Sede Apostolica remearet, a quibusdam impiis et sceleratis, quod sine grandi mœrore non dicimus, in partibus illis captus fuerit, et adhuc in custodia teneatur ; qualiter etiam in ipsa captione prædicta viri impietatis, semen nequam, filii scelerati, in eum, et in suos evangelicis gladiis violenter exarserint, et eos, ablatis omnibus, quam turpiter atque inhoneste tractaverint, et tua serenissima Celsitudo cognoscit, atque ad longinquas, et remotissimas regiones fama tanti sceleris jam pervenit. Ad cujus utique vehementissimi facinoris ultionem, sicut is, cui bona placere, mala vero displicere credimus, constantius exurgere debuisti, et gladium, qui tibi ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum est ex divina provisione concessus, in cervicem desævire oportuit impiorum, et gravissime conterere præsumptores. Tu vero id ipsum ita dissimulasse diceris, sævitiam neglexisse, quod eosdem non est quare poeniteat commisisse reatum : quia impunitatem sacrilegii quod gesserunt, jamjam sentiunt invenisse. Cujus quidem dissimulationis et negligentiae causam penitus ignoramus : quoniam nos in aliquo serenitatis tuæ gloriam offendisse, conscientiae scrupulus no-

strum animum non accusat : sed personam tuam, sicut charissimi, et specialis filii nostri, et principis Christianissimi, quem in Apostolicæ confessionis petra non ambigimus per Dei gratiam solidatum, sincera semper dileximus charitate, et debite tractavimus benignitatis affectu. Debes enim, gloriosissime fili, ante oculos mentis reducere quam grantanter et quam jucunde alio anno mater tua sacrosancta Romana Ecclesia te susceperit : quanta cordis affectione tractaverit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit, et honoris : et qualiter imperialis insigne coronæ libentissime conferens, benignissimo gremio suo tuæ sublimitatis apicem studuerit confovere, nihil prorsus efficiens, quod regni voluntati, vel in minimo cognosceret obviare. Neque tamen poenitet nos desideria tuæ voluntatis in omnibus, implevisse, sed si majora beneficia excellentia tua de manu nostra suscepisset, si fieri posset, considerantes quanta Ecclesiæ Dei, et nobis per te incrementa possint et commoda provenire, non immerito gauderemus. Nunc autem quia tam immensum facinus, quod in contumeliam universalis Ecclesiæ, et imperii tui, no-scitur etiam commissum, negligere ac dissimulare videris ; suspicamur utique, ac veremur ne forte in hanc dissimulationem, et negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, quod suggestionem perversi hominis, zizania seminantis adversus clementissimam matrem tuam sacrosanctam Romanam Ecclesiam, et nos ipsos indignationem (quod absit) aliquam conceperis, vel rancorem. Ob hoc igitur, et ob alia negotia, quæ cognoscimus imminere, duos de melioribus et charioribus quos circa nos habemus, dilectos scilicet filios nostros Bernardum, sancti Clementis presbyterum, et Rolandum, sancti Marci presbyterum Cardinalem, et Cancellarium nostrum, viros utique religione, prudentia, et honestate conspicuos, Serenitati tuæ de latere nostro ad præsens duximus destinandos, excellentiam tuam rogantes attentius, quatenus eos tam honorifice, quam benigne recipias, honeste tractes, et ea quæ ipsi super hoc, et super aliis ad honorem Dei et sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad decus etiam, et exaltationem imperii proposuerint dignitati, sicut si ab nostro procedant, absque ulla hesitatione suscipias, et ipsorum verbis, tamquam si ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere ».

Hæc est epistola Adriani, ex qua perspicuum est, modice admodum, idque necessario, attigisse Pontificem coronationem imperatoris, quæ anno superiore peracta fuerat : cum tamen præcipuum argumentum alio spectaret.

Tertio loco ponit Illyricus reliquam narrationem historiæ ex eodem Radevico lib. I. cap. 10. Summa vero ejus historiæ hæc est : lectis Pontificis litteris, imperator, et qui cum illo erant, imperii principes, cum verba illa Pontificis : « Si majora beneficia excellentia tua de manu nostra suscepisset, non immerito gauderemus », in eum sensum accepissent, quasi dictum esset, regnum atque imperium Germanorum non absolutum, liberumque imperium, sed feudum Romani Pontificis esse, in tantam iracundiam exarserunt, ut parum abfuerit, quin duos illos Cardinales continuo trucidarent. Qui Cardinales, quamvis tandem a periculo vitæ liberati fuerint, tamen sine ullo honore, sine litteris imperatoris, sine ulla responsione dimissi, jussi sunt quam primum, via recta, id est brevissima, excedere ex provinciis imperio subjectis, severissimeque interdictum illis est, ne ad ulla Episcoporum, vel Abbatum Germaniæ loca diverterent. Interim vero imperator litteras plenas acerbissimæ scripsit ad omnes imperio Romano subjectos ; quibus litteris ne verbum quidem facit de criminibus, quorum a Pontifice admonitus, paterne castigatus fuerat, sed solum questus est, plane tragice, injuriam sibi a Pontifice factam, dum is imperii coronam suam beneficium appellavit. Hæc est illius historiæ summa, in qua multa profecto admiranda occurrunt. Primum, quod imperator ad tam horrenda sacrilegia, quorum in epistola Summi Pontificis admonebatur, omnino tacuerit, quasi ad se nihil attinerent. Deinde quod ex unius verbi ambiguitate, quod tamen secundum propriam significationem nihil offensionis habebat, tantam tragædiam excitaverit, ut vix major excitanda fuerit, si totius imperii extrema ruina, certissimumque exitium impendisset. Tertio quod in ea epistola Romanum Pontificem, sanctæ Ecclesiæ caput, ac proinde se membrum ejus (nisi ipse extra Ecclesiam esse velit) appellet, et tamen non modo isti capiti suo, isti principi populi sui acerbissime maledixerit, sed etiam legatos ejus (qui apud quosvis barbaros, atque etiam ethnicos jure gentium tuti fuissent) contra omne jus et